

Dissertatio medica inauguralis de tussi ... / [Marcus Herford].

Contributors

Herford, Marcus, approximately 1653-1728.
Crause, Rudolf Wilhelm, 1642-1718.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Nisianis, [1678]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/afbmz65q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

11
Q. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
De

T U S S I,

QVAM

JUSSU ET AUTORITATE
ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ

FACULTATIS MEDICÆ IN ALMA SALANA,

P R Æ S I D E

RECTORE MAGNIFICO DESIGNATO,

DN. RUDOLPHO WIL-
HELMO Kraußen/

Phil. & Med. D. Pract. & Chym. Prof. Pu-
blico Ord. Facultatis suæ Seniore Gravissimo,
DECANO hodie Spectatissimo, ut & S. R. I. Acad.

Nat. Curios. Collega meritissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo observanter colendo,

PRO LICENTIA,

Summos in Arte Medica Honores, Privilegia ac Insignia DOCTORA-
LIA legitime consequendi,

publicæ Eruditorum disquisitioni subjiciet

MARCUS HERRFORD, Hafniâ-Danus,

in Auditor. Majori,

Ad d. 3. Jul. horis ante - & pomeridianis

Anno cło Ioc LXXIIX.

JENÆ, LITERIS NISIANIS.

*Illustrissimo & Excellentissimo Heroi
ac Domino,*

DN. FRIDERICO,
Comiti ab Ahlefeld / Langeland &
Rixingen / Baroni in Mörseburg / Graven-
stein / utriusque Seegarden / Balgarden &
Wiltnüsse Domino, Equiti Ordinis Elephantini,
Sacrae Regiae Majestatis Daniae ac Norwegiae Cancellario
Magno, Consiliario intimo, Praesidi in Collegio sta-
tus & cancellariae, Regio Vicario in Ducatibus Slesvici &
Holsatiae, Gubernatori ac Praefecto Steinburgi
atque Dithmarsiae,

Domino meo gratiosissimo,

DISSERTATIONEM

hanc

INAUGURALEM

humillimâ mente ac manu

offero.

AUdeo, ILLUSTRISIME DOMINE, curas Tuas
maxime politicas aphorismis Hippocratis distingve-
re & occupationibus plane Regiis interstrepere Medicus.
Grave crimen, fateor, & sacrilegio proximum, publicum
defraudare, quod tñ. dum tēpora Tua Regiis negotiis con-
secrata subtrahō, cōmittere mihi videor. Qua cogitatione
magna me trepidatio invadere poterat, si vel cōlestis Tui
ingenii vigor possit distrahi, vel in exhausta corporis alacri-
tas fatigari. Humiles terrestresque animæ injuriam Ma-
gnis Viris faciunt, quando suo modulo alios metientes
vulgaribus ingeniorum carceribus Spiritus Heroici effica-
ciam includunt. Divinior Vobis mens est, HEROS
INCOMPARABILIS, quæ Solem, cœlum, quid? i-
psū Deum imitata omnes negotiorum recessus facilli-
mè penetrat, subiectos benefica luce complectitur, in
cunctos denique bonitatis suæ radios dispensat. Est e-
nim haud vanè prudentioribus creditum, eos, quos tutan-
dæ Gentium salutis Dīs proximos fecit divina bonitas,
divino quoque commercio ali propiūs, & præsentiori ad
res gerendas ingenio exornari. Sint igitur totius regni
utut amplissimi negotia Tuis ut Atlantis cujusdam hu-
meris imposita; belli pacisque, terra marique consilia
primus & præcipuus modereris; per Te tanquam o-
raculum Regia voluntas innumerabili hominum multi-
tudini innotescat, non tamen hæc impediunt, quò mi-
nùs ad respicienda humillimi clientis vota satis vel ani-
mi vel otii Tibi sit. Volui scilicet more inter eruditos

in veterato virtutem illam Tuam incredibilem, EXCELLEN-
TISSIME COMES, quam exteri admirantur, subditi senti-
mus, & in qua post Deum Opt. Max. & Regem nostrum
Potentissimum multarum gentium salus recumbit, con-
secratione discursus inauguralis venerari, Tibique, Summe
literatorum Mæcenas, me totum obsequentissimè dica-
re. Quod institutum meum ut in optimam partem in-
terpreteris, balbutientique, (tussim enim afferō,) pro cle-
mentia Tua ignoscas, devotissimâ observantiâ, non tam
oro, quàm spero. Deus ILLUSTRISSIMAM TUAM EXCELLEN-
TIAM cum splendidissima familia florentem servet atque
incolumem!

Dab. Jenæ d. 2. Julii
Anno O. R. M DC LXXVIII.

Illustrissimæ T. Excellentiae

Obsequentissimus Cliens

MARCUS HERRFORD.



Proœmium.



Uriosissimam pariter ac artificiosissimam architectam naturam esse, quivis facile apprehendit, admirandam corporis humani in omnibus ac singulis partibus structuram & exactissimam proportionem, qui paulò penitiùs inspicit. Proindè cum solertissima semper naturæ imitatrix ars sit, partium dictarum exactam cognitionem, quæ olim tot præclarissimorum Virorum defatigavit ingenia, tùm demum obtineri potuisse arbitror, ex quo Viri præclarè de arte Medicæ meriti partes humani corporis earumque actiones mechanicè explicare primùm aggressi fuerunt. Postquam enim oculum cum camerâ obscurâ, ventriculum cum retortâ tubulatâ, cor cum horologii æquipondio, aliasque partes cum aliis mechanicis comparârunt inventis, longè intimiùs in abdita viscerum penetralia eos penetrasse, maxima artis Apollineæ testantur incrementa. Unde nec eos adeò absurdos fuisse autumo, qui nobile illud corporis nostri viscus pulmones, folles naturæ & necessaria humanæ vitæ ventilabra appellavêrunt. Quemadmodum enim ignis flamma & calor folliis beneficio fovetur, conservatur, & augetur; organi quoq; musici fistulæ follium in dispensando aëre liberalitati suum debent sonum, ita tùm caloris flammæque vitalis vigor à follium horum microcosmicorum legitimo ac continuô

motu unicè ferè dependet , tùm omnium sensuum , & præcipuè internorum animique interpretes vox ac sermo hisce suam debet originem. Atque hinc partis hujus, pulmonum nempe, ac ejusdem actionis necessitas clarissimè elucet, quidpe ne ullum quidem temporis momentum eâdem, salvâ manente vitâ, carere possumus. Verùm uti in miseranda hâc rerum omnium humanarum imbecillitate nihil tam nobile invenitur atque excellens, quod suos non patiatur manes, ita & nobilissimum hoc viscus variis, iisque miserrimis cruciatibus expositum est. Cum verò inter omnes illos affectus nullus tam latè pateat, quàm TUSSIS, quippe qui omnium ferè ejusdem malorum comes individuus est, ideò haud abs re fore existimo, si ejus naturam, causas ac medelam loco speciminis Inauguralis Academici Jussu Gratiorsæ Facultatis Medicæ in hâc almâ Salanâ brevibus exhibeam : quod ut feliciter procedat, faxit Divinum Numen.

CAP. I.

Nomen explicat ac Rem definit.

CUm nomina rerum involucra sint, quibus probe evolutis ac intellectis in ipsius rei penetralia intimiùs ingredi nobis licet, nos quoque in præsentî nostro affectu nominis scrutinium, brevibus licet, instituemus.

Dicitur ille Latinis TUSSIS, cujus *ἔτυμον* non ab omnibus idem statuitur. Alii enim à *tusione* illud derivant, quòd in tussi aër extundatur, sive extrudatur, simulque in illâ actione thorax quoque & reliquæ partes, quæ respirationi ancillantur concutiantur, & tundantur. *Isidorus* autem à Græco *θύσις* illud deducere videtur, quatenus *θύειν* significat *εἰς βά-*

ὁ καλίωναι, hoc est, in profundum abire. Nam *l. IV. c. VII.* ait. *Tussis Græcè ab altitudine vocatur, quod à profundo pectoris proveniat.* Horum tamen neutrum probatur *Vossio Lexic. Etymol. in voce tussis p. 537.* sed à sono appellationem esse censet, quem edunt tussientes, quod pluribus deducit *Becmannus de origin. lat. lingv. p. 698.* dum tussim esse dicit propter U quod sonum obtusiores & SS quod sibilum exprimit, ad imitationem soni tussientium, sic Græci βήσσειν, βήτσειν, i. e. tussire, ut asperius sonet βηήσσειν, βηήτσειν efferunt.

Συνώνυμον Latinum tussis vix habet, nisi id tusficulam esse velis, quò *Coelius Aurelianus* usus est. Græcis dicitur βήξ, & in plurali numero βήχες, à quo celebre bechicorum, medicamentorum scilicet tussim juvantium nomen ortum habet. Item βήγμα vel βηήγμα, quod tamen apud *Hipp.* docente id *Foës. æconom. Hipp. p. 120.* non solum tussim, sed & sputum, quod tussi rejicitur, significat. Aliàs etiam dicitur θυμός, quod δὲ τῆς βήχος ipse *Senex* distingvit *prognost. p. 135. edit. Foës. οὐόσοισι δὲ δὲ τῆς ἡπατὸς οἱ ὑδρωπες γίνονται, βήχες τε καὶ θυμός ἐγγίνονται αὐλοίοισιν, καὶ ἐδὲν δαποπύουσιν ἄξιον λόγου,* quibus à jecore aqua inter cutem oritur, tussendi quidem cupiditas inest, verum nihil effatu dignum exspuunt. Ubi θυμόν nihil aliud esse dicit, quàm πρὸς θυμίας propensionem ad tussim, sive cupiditatem tussendi. Dicitur etiam ab eodem κερχνός & ἀνάχρεμψις, quorum vocabulorum explicationem vid. apud *Foës. l. c. p. 334. & 110.* Germanicè dicitur, der Husten. Danicè, Hoste. Sed missâ ulteriori nominis explicatione, ad ipsius rei naturam ac definitionem declarandam nos accingimus, & talem tussis DEFINITIONEM exstruimus.

TUSSIS est vehemens, crebra & sonora aëris è pulmonibus efflatio, ab interioris bronchiorum membranula irritatione orta, ad id, quod infestum ipsi ac molestum est, expellendum.

GENERIS loco rectè ponitur efflatio vehemens crebra & sonora, idque non tantum teste *Gal. l. 2. de Symptom. caus. c. 4.* sed ipsis quoque sensibus, quippe quibus copiosam hanc aëris redditionem abundè persentiscimus.

Cum autem hæc efflatio non fiat nisi motu pulmonum, facile patet, cuinam rerum præter naturam classi accenseri debeat tussis, symptomatum scilicet, & quidem motus. An verò hic motus in tussi facultati animali, an verò naturali sit adscribendus, de hoc autores contentionis ferram inter se reciprocant. Nos existimamus, motum illum esse mixtum, hoc est, ex naturali & animali conflatum; Quoniam verò, ut quælibet actio vulgò, ita & hæc trifariam lædi dicitur, aboleri scilicet, imminui, vel depravari, tussim depravatam esse actionem statuimus, quæ in quantitate & qualitate vitatur. In tussi enim respiratio, quæ aliàs lenis, & ad naturæ leges paulatina esse debebat, cum immodicâ vehementiâ & crebri-
tate spissatur; quæ s. n. sine sono, hîc admodum sonora evadit, dum aëris attracti copia repetitâ partium respirationi inservientium systole vi expellitur, & ita impetuosè ad latera asperæ arteriæ, & imprimis glottidem allidit, sonumque illum streperum excitat; legi de hisce potest Gal. l. c.

CAP. II.

Subjectum delineat.

VISâ jam & nominis explicatione & rei definitione receptâ methodo ad SUBJECTI considerationem nos accingimus.

Distingvitur autem illud à Medicis in *minus principale* & *principale*.

MINUS PRINCIPALE Tussis subjectum sunt partes illæ omnes, quæ ad respirationis negotium concurrunt, uti sunt præter pulmones, musculi quoque thoracis, abdominis, it. diaphragma & reliquæ, de quibus anatomicorum tractant libri, partes corporis, respirationem juvantes.

PRINCIPALE verò subjectum est tenuis illa membranula, quæ internam asperæ arteriæ & bronchiorum superficiem investit.

Originem hæc sumit à tunica palatum succingente, & per totam tracheæ longitudinem descendit in minimas bronchiorum divaricationes, teste Celeberrimo *Barthol. Anat. Reform. l. II. c. 10. p. 436.* Ubi verò bronchiorum cartilaginea substantia definit, membranula hæc extensa & sinuata penè infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformat, instar alveolorum quos in apum favis conspiciamus, quæ vesiculæ de hinc, testibus accuratissimis Anatomicis *Malpighio & Bartholino*, unâ cum vasis sangvifluis, lymphaticis ac nervulis univèrsum pulmonum corpus constituunt, de quò vid. laudati jam *Malpigh. Epist. 1. ad Borellium & Bartol. in diatrib. de pulm. p. 30.* quemadmodum etiam de humore hanc membranam & pulmones perpetuò irrigante, legi inter alios meretur *Willis. Pharmac. ration. p. II. f. 1. c. 1.*

Sensu pollet exquisito & acutissimo membrana hæc, ob fibras nerveas, quas adipiscitur, unde à quovis heterogeneo tangibili statim ita irritatur, ut ad id expellendum convulsivum, quasi motum, tussim scilicet, excitet, & universam thoracis machinam ut & diaphragma cum reliquis respirationem juvantibus partibus ad promovendam hanc materiæ irritantis & affligentis expulsionem, in subsidium vocet.

An autem à solius hujus membranæ irritatione semper tussis oriatur, quidam dubitant, cùm multi autorum etiam tussis per consensum meminerint, eamque à variis partibus arcesserint. Inter has *Gal. l. 2. de sympt. causis*, referre videtur musculos thoracis, ex eâ forsan ratione quod iis quibus thorax transossus, illæsis licet pulmonibus, tussis superveniat. Alii à diaphragmate, ventriculo, hepate, liene, testibus, utero, affectis tussim oriri scribunt, quomodo autem id fieri possit, neque dicunt, neque adeò liquet; Licet enim à diaphragmatis compressione & extensione impeditâ (quæ ab hepatis & ventriculi magnitudine auctâ causari potest,) difficilem respirationem oriri posse, facile quidem concedamus, idque asthmatis præcordialis exemplo probari possit, tamen non statim omni difficili respirationi tussim conjungi, experientia testatur; Igitur vel ad

partium membranarum ac nervorum imprimis consensum, recurrendum, qui tamen in plerisque non adeò facile deprehendi potest, vel quod probabilius videtur eandem v. gr. inflammationis in his dictis partibus causam, sanguinem biliosum, etiam ad pulmones deferri, tussimque excitare, statuum est.

In quibusdam tamen partibus consensus ille nervorum, manifestior est; sic ab altiori ac profundiori titillatione aurium tussiculam siccam oriri, testatur *Higbm. c. de aspera arteria*, ob ramulum à quinto pari communi (*Willisii septimo*) auditorio ad laryngis musculos sparsum. Quod exemplo illustrat *Guilielmus Fabr. c. 1. obs. chir. 4.* Raram verò hanc propagationem, esse testatur *Rolfinc. in Dissertat. Anatom.*

Ut igitur hunc de subiecto discursum concludamus, dicimus omnem tussim oriri à pulmonibus irritatâ membranulâ internâ arteriæ asperæ ac pulmonum; causam verò hujus irritationis non semper, imò rarò latitare in pulmonibus, sed sæpius & frequentius aliunde affluere & derivari, sicq; per consensum dictam membranam affici.

C A P. III.

Causas, immediatam, & mediatas proximiores inquirat.

DElineato affectus subiecto, nunc à quibusnam CAUSIS illud afficiatur, videndum est.

IMMEDIATAM tussis causam in definitione & præcedente capite diximus esse IRRITATIONEM interioris bronchiorum pulmonarium membranulæ. Posita enim hujus sensibilitate, & particularum heterogenearum tangibilium actu inhærentium præsentia, non potest non sensus inde molestus provenire, quem ipsa hæc membranula naturâ suâ fugit, & contractione à se amovere satagit, cui hinc totum genus musculosum, efflatio-

efflationi infervientium suppetias ferre properat. Quod eodem modo in aliis corporis humani partibus evenire videmus, v. g. in sternutatione, narium sensili membranâ irritatâ, hæc statim insurgit, & tùm membranas cerebri, tùm capitis, oculorum, pectoris & abdominis musculos in consensum trahit, quò molestum hoc irritans excutiat.

MEDIA TÆ proximiores causæ variæ sunt. Interque has, si veterum evolvimus scrinia, primo loco positam reperi-
mus *intemperiem*, non tàm materialem illam, verùm etiam im-
materiam, & ex hac imprimis frigidam & siccam, uti non mi-
nus etiam calidam. Verùm cùm intemperies illa immateria-
lis accuratiorum hodie Medicorum iudicio vel nulla sit, vel ad
sensum saltim non absolutè ita dici possit, & in hoc potissimùm
casu longè aliam ob causam effectus illi adscribi solitus, nempe
tussis, producat, meritò illam ex causarum numero hoc loco
excludimus ac rejicimus. Atque cùm ab aëre illam intempe-
riem ferè solùm deduxerint, hic autem per se atomis suis quas
vehit id perficere aptus natus sit, ideò ad res non naturales, quò
aër pertinet, hæc reservabimus.

Nos mediatam proximiorē causam constituimus dupli-
cem, *internam* unam humores in aspera arteria & pulmonibus,
imò in toto corpore existentes, alteram *externam*, illa scilicet
omnia, quæ extrinsecus in asperam arteriam illabuntur, eamque
inæqualitate suâ ac spiculis suis irritant, uti sunt pulveres varii,
& assumpta alia, tum solida, tum liquida, quæ ex regiâ viâ aber-
rantia Laryngis rimulam subingrediuntur. Cumque altera
hæc causarum species in causarum nonnaturalium recensione
melius explicari possit, servatâ consuetâ tractandi methodo in
eum locum illam reservabimus, & jam priorem illam *humoro-
sam* scrutabimur.

Constat ex superiori capite internam tracheæ & totius pul-
monis membranam in statu naturali perpetuâ quâdam ac pro-
portionatâ humiditate irrigari, unde pro ejus statu naturali à
causis remotioribus mutato, non potest non inæqualitas quæ-
dam, & postea tussis inde exfurgere. Sic humiditas hæc serosa
per noctem in asperâ arteriâ coagulata ac conglobata manè tus-
sim

sim ac screatum excitat. Sic si ab aëre immutetur & acrior reddatur, idem sequitur affectus.

Neque verò ab hac naturali solùm humiditate, quæ feri febiles est, tussis excitatur, sed uterque ille humor universalis ac alimentaris, sanguis scilicet & ejus vehiculum serum, tam in vasis communibus sanguini conjunctum, quam propriis lymphaticis contentum ad tussis generationem concurrunt.

Et sanguis quidem tussim producit, dum *copiâ* suâ nimiam, quam *plethoram* dicimus, corpus aggravat, & in alveolis suis contineri nescius, aggere quasi rupto in pulmonum vesiculas ac bronchia penetrat. Unde tussis semper ferè conjungitur hæmoptysi. Talem tussim, vehementiorem quidem observavit *Bennet. theat. tabidorum exercit. 23.* ubi post apertionem pulmonum substantia intenerata, & quoad sensum sana reperta fuit. Et hujusmodi à sanguinis copiâ tussès sæpè fiunt in mensium suppressione, qualia exempla vid. apud *Forest. l. 28. schol. observ. 3. Roder. à Castr. p. 2. vel 3. de morbis mulierum. Sennert. l. 4. præf. part. 2. f. 5. c. 5. Roder. Fonsec. tom. 1. consult. 8. & 62. Bennet. in theat. tabid. exercit. 14. ut & alios.* Simile etiam, quid in Viris ab hæmorrhoidibus fluere aliàs consuetis subsistentibus notavit *Forest. l. 16. obs. 22.*

Frequentius tamen tussis contingit, si sanguis simul *qualitatibus* delinquit, non tam primis illis, caliditate scil., frigiditate, humiditate & siccitate, quam secundis, inter quas prædominatur *salina*. Salinum enim principium sive acre sive acidum, sive falsum illud sit, membranis dissimile, & consequenter inimicum est, unde & unâ cum inæqualitate majori omnis irritationis autor est. A salinis enim hisce spiculis sanguis tenuior, fluidior & acrior redditus, eò citius vias illas angustiores, arteriolarum oscula penetrare, exedere & hinc membranam irritare potest. Unde propter hujusmodi sanguinis *δυσκρασίαν* salinam, etiam scorbuto laborantes, & qui venena biberunt, tussi sanguineâ sæpè laborant. Hinc in febribus continuis, ubi massa sanguinea à nativâ suâ dulcedine desciscens particulis biliosis alcalinis ac aliis heterogeneis abundè scatet, tussis ut plurimum, nonnunquam simul sanguinis sputum,

tum, conjungitur; quod utrumque bonum in ipsis signum haud rarò præbet, notante id *Excellentissimo D. Wedelio, Patrono & Præceptore meo aeternum sanctè colendo theorem. med. part. 3. f. 5. tb. 35. & 62. & Willis. de morb. convulsiv. p. m. 75.*

Multum præterea ad tussim producendam potest, *motus* sanguinis peccans, sic, ubi febrilis effervescencia motum sanguinis citatiorem procreat, faciliùs levissimo in pulmonibus obstaculo invento, sanguis vi per angustissima illa spatiola, perrumpere cogitur, Id quod à motu etiam corporis fortiori contingere potest, ceu suo loco videbimus.

Insuper quoque à *consistentiâ* suâ naturali desciscens sanguis tussim producere potest. Si enim in vasis arteriosis lenteſcat, aut ab acore peregrino coaguletur, vel polypum aut tumorem scirrescentem producat, quem morbum crudum pulmonum tuberculum dicere solent, tussis sicca molestissima oritur, quæ itidem distensionem ac compressionem, & consequentem, irritationem vesicularum & bronchiorum pulmonis pro causâ agnoscit.

Et hæc de sanguinis vitio. Progredimur nunc ad hujus focus seu vehiculum, *serum* quod frequentissimè tussim producere, tum omnes Med. libri, tum quotidiana, eaque creberrima testatur experientia.

Peccat autem illud eodem ut de sanguine dixi, in corpore, ac pulmonibus præcipuè modò, nimirum vel *copiâ*, si, ex quâcunque demum causâ illud sit, in corpore nimium augetur. Sic, si à frigore externo constrictis poris serositates per insensilem *ἡσυχία* excerni solitæ, in corpore retinentur, in massam sanguineam regurgitant, & in pulmonum substantiam, modò aliquantulum illam dispositam inveniant, se insinuant. Sic à ruptis tenerrimis illis vasculis lymphaticis, siue id fiat à nimia copiâ distendente siue obstructione, siue acredine salinâ lymphæ ac erosione, in pulmonibus quoque non aliter ac in abdomine serum colligitur, quem morbum inde hydropem pulmonum dicunt, quò de loquitur *Hippocrates l. 2. de morbis*, hujus exempla plurima collegit *Schenck. l. 2. obs.* quibus semper ferè tussis conjuncta fuit. Illam autem à levi etiam causâ contin-

gere posse, docet sæpiùs laudatus *Malpighius l. c.* Hujus generis quoque fuere vesicellæ illæ aquâ refertæ, velut piscium, quas in ditione Fuldanâ à rustico tussiendo rejectas vidit *Jacob. Oëthaus, apud Schenck. l. 2. obs.* Ut & vesicella colore, magnitudine & forma cyprini piscis à tabida muliere rejecta, quod est ejusdem *Schenck. acroama.* Et inde est, quod tussis hydropicis molesta sit.

Accidit autem non rarò ut præter quantitatem etiam *consistentiâ* peccet serum, si scilicet coaguletur in pituitam crassam, hæc enim nihil aliud est, quam serum coagulatum vid. *Excell. D. Wedel. l. c. part. 1. f. 2. tb. 20.* Hinc veteres toties tussis causam in pituitam rejicere soliti.

Nec minus quoque *qualitatibus* & præcipuè *acredine salium* peccat serum, imò illa, quæ de sanguine superius diximus, primariò sero competunt. Hoc enim vehiculum salium in corpore est, omnium humorum tincturam imbibere aptum. Nec ullum ferè feri vitium in corpore & in hoc imprimis affectu est, cui hæc salium acredo non adjungatur.

Tali ex sero acri proveniente tussi laborabat illustris filia, apud *Forest. obs. l. XVI.* quæ simul ex illa destillatione rimas & pustulas quoque in lingua habebat, & horum si opus esset, plura exempla congerere possemus.

Peccat autem in corpore non solum sal lixivum, sed etiam acidum, suntque hæc duo salia omnis ferè irritationis autores. Lixivi salis existentiam in sero nemo fortè negaverit, cum urina, ejus soboles id toto die testetur, ac *Rolfincius diss. de tussi* apertè mentionem faciat tussis à defectu evacuationis per urinam, quæ ab hujus liberaliori fluxu per diuretica promotò statim cessavit. Acida autem tussim excitare posse exinde liquet, quod ab acidis assumptis tussis oriatur; sic in pleuritide, ubi tussis necessaria est ad materiam educendam, nisi naturæ robore adsit, arte, beneficio medicamentorum acidorum v. g. spiritus salis excitatur. Et ejusmodi salia acida à reliquis separata in corpore existere pluribus experimentis ac observationibus demonstravit *Etmullerus diss. de med. Hipp. chim.* sic à scabie, quæ ut plurimum ab acido oritur

oritur, retropulsâ sæpiissimè, testante Celeberrimorum Practico-
rum experientiâ cum anxietatibus tussis excitatur.

MOTU denique præternaturali sæpiissimè serum peccare
& tussim excitare apud omnes in confesso est, idque sæpius cita-
tus *Willisius* in feбри quâdam anomalâ ac epidemiâ observavit,
vid. *tract. de morb. convulsiv. c. 8.*

Veteres hâc hypothesi nitebantur omnem tussim, impri-
mis quæ à sero fit, à capite & cerebro tanquam catarrhorum
fonte provenire. Ceu inter cæteros fecit *Carol. Piso. l. 2. de*
prætervis. hætenus aff. ex serosa colluvie obs. 52. p. 177. & sequen-
tibus.

Verùm cum hodiè in Medicinâ luce meridianâ clarius sit,
non omnem catarrhum à capite oriri, sed in quâlibet parte con-
tingere posse feri seu lymphæ *σάσις*, facilè perspicimus à cerebro
omnem tussim serosam deduci non posse. Licet enim in cere-
bro, capite & circa hoc catarrhi frequentiores sint ob glandulas
& vasa lymphatica, quibus innumeris illud quasi scatet, ut &
propter aëris injurias, quibus præ aliis expositum est, non ta-
men statim ex cerebro immediatè lymphâ illa destillat in pul-
mones, (ut ut per os cribriforme non omnis transitus humorum
denegandus, teste *Willis. de Cerebro cap. 12.*) sed potius, si quid
ex faucibus depluit, id omne ex glandularum palati, buccarum,
sublingualium, tonsillarum, maxillarum, parotidum, jugulari-
um &c. oscillis scaturire existimo. Obiter verò adhuc nota-
mus, ex dictis clarissimè patere, quid de *Helmontii* sententiâ sta-
tuendum sit, qui libro *asthma & tussis* inscripto, negat, quic-
quam decidere ex capite, sed putat, quicquid tussi rejicitur, id
fieri in canis pulmonum vitio proprio, & quidem ex bono
pulmonum alimento à Vulcano corruptore. Hæc enim si ab-
solutè intelligenda sunt manifestè falsitatem spirant, nisi fortè
per illud alimentum, lympham illam intelligere velimus, quæ
in pulmonibus à sanguine arteriosô per arteriam bronchiale,
à *Ryschio* inventam, pro nutrimento eorum adductô, se-
gregatur.

CAP. IV.

Causas Mediatas Remotiores naturales & nonnaturales pro- ponit.

EX CAUSIS MEDIATIS REMOTIORIBUS primo loco sistimus NATURALES, inter quas eminet TEMPERAMENTUM totius corporis, frigidum & humidum, hoc enim uti ferosorum humorum abundantiam notat, ita facile pulmones ad instituentiam tussim disponere potest, imprimis ubi particularis pulmonum dispositio accedit.

ÆTAS quoque, & quidem PUERILIS cum naturaliter humida sit, & propter ἀδυναμίαν quā plurimum in hac ætate peccatur, facile excrementa pituitosa coacerventur, quæ pulmones infestare possunt, hinc non malè Divinus Senex 3. aph. 24. ait, *in ætates qui cadunt morbi, hujusmodi ferè sunt, nam puerilis & nuper in lucem editis aphthæ, vomitiones, tussés, vigiliæ &c. accidunt.*

SENILIS quoque ætas, licet priori quoad temperamentum naturale è diametro contraria sit, tussì obnoxia est. Quamvis enim senes quoad temperamentum naturale frigidi sint & sicci, nihilominus tamen ob ipsam hanc caloris nativi debilitatem, excrementitios & serosos humores sæpè plus satis cumulant. Qui facile tum aliis partibus, tum imprimis pulmonibus levibus quandoque de causis negotium facessere & tussim producere possunt. Unde & Celsus tussim inter seniles morbos retulit 3. aphor. 31. τοῖσι δὲ πρεσβύτησι δύσπνοια καὶ ἄσθμα βηχῶδες &c. *senibus autem difficultates spirandi, catarrhi tussiculosi accidunt.*

HABITUS quoque corporis densior à quibusdam huc referri assolet, quod insensilem illam transpirationem impediat ac fuliginibus serosis eliminandis viam præcludendo humores in corpore augeat.

Inter NONNATURALES primò omnium nominandus aër frigidus

gidus hyemalis crassior, testante *Hipp. 3. aph. 23.* & aquilonaris imprimis *3. aph. 5.* Hic enim uti aciditate nitrosa pollet, ita spiculis suis acutis teneram asperam arteriam membranam exasperare ac irritare facile potest, simulque etiam humores illa loca irrigantes coagulando inæqualitatem inducere. Ejusmodi ab aëre frigido tussi corripiebatur Vir ille apud *Forest. l. XVI. obs. 1.* qui aquilonari hyemis tempestate iter faciebat. Neque solum respiratione attractus, sed etiam extrinsecus corpori circumfusus aër tussim producit, frigiditate enim poros obstruit, ac vitiosum lymphæ motum sive catarrhum excitat, quod proprio suo exemplo confirmat *Carolus Piso l. c. obs. 53. pag. 180. ad eò magnam*, inquit, *frigus externum vim habet in ciendis fluxionibus, ut nunquam hyeme verticem capitis & suturam coronalem detegam, quin extemplo tussis mihi oboriatur.*

Huc procul dubio pertinet etiam illa *Forest. historia obs. 16. l. 16.* de mercatore Delpheni, cui, cum præcedente nocte ex frigore contracto tussiret, vena in pulmone rupta est. Ex eodem etiam fundamento infantes frigori expositi tussim patiuntur. Maxime autem hæc talia contingunt ab *inaequalitate aëris* subitis mutationibus corpus variante, uti confirmat *Divinus Senex 3. aph. 13.* *Si æstas sicca & aquilonia fuerit, autumnus contra pluviosus & austrinas, cephalalgia hyeme sunt & tusses, & naucedines, & gravedines, atque in nonnullis tabes.* Et inde est quod eodem tempore epidemium nonnunquam in morem grassetur tussis febribus catarrhalibus conjuncta. Talis epidemica ac contagiosa fuit illa, quæ circa annum M. D. LXXX. Germaniam & imprimis Italiam adeò infestavit, ut Romæ eadem supra 9000. hominum absumpti fuerint, referente ex pluribus autoribus *Schenck. præf. in lib. obs.*

Calidus præterea etiam à nonnullis accusatur aër, cujus exemplum annotavit *For. l. c. obs. 2.* in juvene, qui post deambulationem in sole tussi correptus est, fortassis à nimia exaltatione & explicatione salium in corpore.

Non tantum aër per se hunc effectum producit, sed etiam ob varias quas pro varietate loci secum vehit atomos, quas una cum tam necessario vitæ pabulo inspirando attrahimus. In-

ter has primò numeramus fumum tùm simplicem illum lignorum ac carbonum, qui præter oculos etiam laryngi ac asperæ arteriæ infestus maximè est, tùm imprimis metallicos acres venenosos, antimoniales, arsenicales, sulphureos, hinc tussis molestissima frequentissimè metallurgos, ac eos, qui metallis sequestrandis operam locant, affligit, de quibus videatur *Stockhusius de asthmate montano, in appendice libelli de lyt bargyrii fumo noxio*. Hinc chymicorum quorundam præprimis altiori spei intentorum querelæ de marcore, tussi & subsequente phthisi. Sic fumum benzoës in præparatione florum idem præstare observavi. Simile quid toto die iis qui in officinis variis acrioribus simplicibus v. gr. pipere, euphorbio &c. contundendis vacant, item molitoribus, lapicidis &c. contingit. Hæc enim omnia ac singula uti vel acredine ac spiculis salinis manifestò pollent, vel inæqualitate saltim molesta, ita membranam irritare & ad excernendum stimulare potentia sunt.

Cibus & Potus quoque sive alimenta hunc censum subeunt, tùm quoad substantiam, tùm quoad qualitates primas ac secundas. Si enim assumpta non rectâ viâ procedunt supra epiglottidem in oesophagum, sed inter deglutendum deviant in laryngis rimulam, quod inter sermones, risus, infantib⁹ inter fugendum & fletus non rarò obvenit, tussim immediatè excitant. Inter qualitates verò eorum primo loco ponenda illa à *Divino sene* adducta *5. aphor. 24. Frigida, cujusmodi sunt nix, glacies, pectori sunt inimica, tussim movent, sanguinis profluvia cient, catarrhos excitant*. Et hoc tam de his ipsis internè adsumtis, quàm omnibus aliis actu frigidis potulentis intelligendum est. Huc pertinent quoque acida, vitriolata, adstringentia nitrosa, inconsideratiùs, & intemperatiùs sumta; hæc enim facillimè pulmones lædunt, sic memini Excell. D. D. Præsidentem nuper in Lect. Publ. de tussi, cujusdam ex nimio spirit. ☉ usu in tussim, & hæmoptysin sæpè recurrentem illapsi mentionem fecisse. Argunt autem hæc talia eodem planè modo, quo aërem frigidum, corpori nocere suprà diximus: referri quoque huc debent acrida, acerba. Sic *Tulpius* refert Jctum quendam ex acri limonum succo ad sex plus minus uncias quotidie assumpto in molestis;

flissimam tussim incidisse *l. 4. observ. med. cap. 20.* sic piper, euphorbium assumptum, sic amygdalæ, nuces, similesque fructus non excorticati, imprimis verò rancidi facti, ut & olea rancida eadem efficiunt. Hinc pulvis haly contra phthisin vetustior phthysicis, & oleum amygdalarum non recenter expressum, infantibus ac aliis plus nocimenti quam emolumenti affert. Pollent enim hæc latente quâdam acrimoniâ, quæ in recentibus liquore dulci oleoso obtunditur, in vetustioribus verò ut omnibus rancidis idem salinum principium magis explicatur.

MOTUS denique corporis nimius aliquando & hîc accusari meretur, dum massæ sangvineæ concitatiorem motum conciliat & ita causas internas latentes ac quiescentes in actum deducit, ac insuper vasorum pulmonarium ruptionem facillimè causare potest, quale exemplum refert *For. ex Gal. l. 16. obs. 13. & 15.* hîc saltus cursus & lapsus referri queunt. Deniq; EVACUATIONES consuetæ suppressæ addi possunt, urinæ imprimis ac mensium, utrumque enim horum in corpore coacervatum supra dictis modis pulmonibus noxam inferre potest.

CAPUT V.

Causas præternaturales exponit.

EXREBUS PRÆTER NATURAM variæ sunt, quæ tussim vel comitem habent, vel producunt. Omnibus enim, ferè pectoris morbis consociatur, sic in asthmate, hæmoptysi, phthisi, pleuritide, quin & hydrope visitur.

CALCULI sæpissimè tussis causa existunt. Hi enim, ut in omnibus corporis partibus, ita etiam in pulmonibus produci possunt. Sic in observationibus Medicorum exempla plurima occurrunt eorum, qui ab ejusmodi calculorum in pulmonibus præsentiam tussi correpti, & illis excretis liberati sunt. Talismodi exempla pleno quod ajunt modio collegit promus ille, condus *observationum Schenck. l. II. Plater. l. I. obs. p. 180.* Et illu-

illustre Daniæ sidus *Bartholinus* in foemina id observavit *lib. de pulmonum substantiâ & usu pag. 35.* Imprimis autem notatu dignissima est *Excell. D. D. Wedel. obs. XVI. Ann. III. Ephem. Germ.* (quæ supra etiam ubi de aëre differuimus, locum habet) Foeminæ nimirum vices apud calcarium per aliquot annos gerenti ex pulvisculo calcis vivæ quem quotidie in officina calcis cum aëre hauserat, calculi in pulmonibus generati sunt, quos postmodum cum tussi ac levi hæmoptysi rejecit. Simile quid etiam *Georg. Hieron. Velsch, Anno 1. Eph. German. obs. 158.* recenset de adolescente pauperculo cæmentariis operis adscripto, qui perpetuâ tussi ficcissimâ ideoque periculosa cruciabatur, nulla humoris excretionem, summa violentia sanguinem tamen, quandoque extundens, in quo calculosa quædam congeries non dura, sed friabilis calcem concretam referens visebatur.

Nonnunquam verò tartarea hæc materia lapidum formam non assequitur, sed consistentiæ mollioris est, unde apud autores nominatim *Gal. l. 4. de loc. aff. grandinis* titulo venit. Talis materia grandinosa tartarea in sectionibus cadaverum sæpius in pulmonibus reperitur. Observavit *Excell. D. D. Praeses* honestam quandam matronam, quæ tussi pertinacissimâ per aliquot annos affligebatur, tandem post exhibita becchica, tussi rejecisse sputum viridescens, & quasi congelatum, cui tartarea, quædam materia grana milii repræsentans & flavescens immixta erat.

VERMES aliquando tussis causam extitisse Autorum, confirmant observationes, tum in ipsis pulmonibus, tum in ventriculo ac intestinis hospitantes.

Ejusmodi vermium in pulmonibus repertorum historias sæpius laudatus *Schenck. collegit l. c. & Magnus Bartholinus l. c. ex Alfaravio c. 1. tract. 3. præf.* miram talem historiam citat, tussum nempe à vermibus in pulmonibus excitatum fuisse quoties de loco suo moverentur, quievissè verò cum illorum quiete. Idem in conjugem suam phthisica observavit *Balthasar Timæus à Guldenslee l. II. ep. 5.* quæ quandoque per tussum rejecit vermes minutissimos. Et horum lædendi modus est clarissimus. In intestinis verò hospitantes vermes tussum producere, quotidiana

com-

comprobat experientia, adeò, ut inter signa vermium in pueris tusfis sit relata. Suspiciari autem licet, vel à chylo in intestinis à putredine verminosa inquinato & acriori reddito, vel à lymphâ in glandulis intestinalibus corruptâ, & ad pulmones delatâ hanc ipsam tusfim suscitari.

CAPUT VI.

Differentias proponit.

DIFFERENTIÆ tusfis à variis rebus desumi possunt, nobis sequentes sufficient.

GENERIS ratione alia est 1. intensa, excessiva, ferina, cum sono acuto, quæ Gallis Quinta sive Quintana, Belgis *der Rind-Huste* vocatur. 2. Alia humida, cum copiosâ materiâ, quæ ejicitur; alia sine materiâ vel saltem ad excernendum minus aptâ, quæ sicca, & quia cum quodam clangore fit, ovina inde dicitur *ein truchener Schafs-Husten*. 3. Alia est primigenia, absque alio præcedente morbo ingruens, alia consecutaria, alios morbos ceu comes stipans. 4. Alia simplex, alia cum symptomatibus aliis, ut convulsiva, irritatis simul nervis.

II. SUBJECTI respectu alia fit per *ιδιοπάθειαν* ipsâ pulmonum ac asperæ arteriæ membranâ per se affectâ, & quidem, vel quoad alterutrum tantum pulmonum lobum, vel quoad utrumque; alia per *συμπάθειαν*, ab aliarum partium à pulmone dissitarum consensu.

III. Ratione CAUSARUM alia est à sanguine, alia à ferro, alia à pure &c.

IV. Quoad TEMPUS alia est recens, quæ non diu duravit, alia inveterata, qualis illa erat apud *Forest. l. 16. obs.* Alia continua, quæ absque intermissione molesta est, alia periodica, quæ per certa intervalla revertitur. Sic quædam noctu, quædam de die, quædam manè, quædam vesperi magis cruciat. Talis erat illa trimestris apud supra laudatum *Carolus Pisonem l. c. obs. 52. p. 176.* quæ per decem hyemes afflixerat patrem quendam.

Societatis Jesu , de die molestissima, de nocte inducias præbens.

V. Ratione MORIS, alia benigna est, alia porro hereditaria, alia maligna, contagiosa, epidemica qualis fuit illa cujus superius c. IV. mentionem fecimus.

CAPUT VII.

Signa Diagnostica explanat.

EGregium juxta ac verissimum dictum est, *Tralliani l. 9. c. 1.* Ὁρθῆς Θεραπείας πηδάλιον ἐστὶν ἡ διάγνωσις, internotio rectæ curationis est fundamentum.

GENERIS ratione signis diagnosticis haud indiget tussis; est enim ex illis tribus quæ celari omninò non possunt, qualia sunt *amor, tussis, scabies.*

Quintana & convulsiva pueros ac infantes maximè infestat, qui tussiendi paroxysmos tam crebros ac atroces habent, ut respirationis organa non tantum graviter laborent, sed etiam spasmodicè affecta actus suos variè interrumpant, suspendant ac pervertant, ut respiratione pro tempore impedita spiritum, vix ac ne vix quidem ducere queant; proinde quasi suffocati ejulent, & ob sangvinem restagnantem, in vultu nigredinem contrahant. Ovina verò cum raucedine semper conjuncta est.

SUBJECTI ratione dignoscitur tussis per ἰδιωπάθειαν ab illâ quæ fit per συµπάθειαν, quod hæc semper ferè sicca sit, illa humida magis, idem ex signis affectuum reliquorum quibus jungitur & à quibus fovetur, patefit. Sic in malo hypochondriaco tussis contingit magis post pastum.

Maximè verò διάγνωσις necessaria est CAUSARUM ratione, ut contra quamcunque illarum in curatione tela dirigere possimus.

Patent autem harum signa vel *à priori*, sive ex antecedentibus,

tibus, vel à *posteriori*, five consequentibus, quorum illa maxime ex ægri relatione petenda. Si sub jove frigido diu versatus sit, si signa catarrhorum alia conjungantur, gravedo, dolor capitis, defluxiones in alias partes, facile patet serum in culpa esse, & tunc humida oritur. Si à fumo, atomis aëri commixtis, sicca evadit.

Sic si ab aliis rebus præter naturam originem ducat v. gr. *phthisis*, pleuritide, peripnevmonia &c. ex illorum præsentia ac signis propriis id dijudicare licet.

Consequentia imprimis sunt, quæ ex materiæ conditione, sumuntur ac excernendi modo. Sanguis enim rejectus sui ipsius vitii index est, uti non minus pus, ac serum pro vario ejus statu. A coagulato enim sero five pituita sputa cohærentia, globosa sunt, facilisque rejectio, sin magis viscida, tenax, pulmonibus intimius impacta, tussis valida quidem satis est ac molesta, nihil tamen ut *Hipp.* loquitur ἀξιον λόγου extusfiunt, & difficilis simul conjungitur respiratio.

Sic an lymphæ falsa, tenui, acri proveniat, sensu ipso dignosci potest, adest enim tum mordicatio, titillatio in faucibus, quin nonnunquam asperæ arteriæ exulceratio, sique materia copiosior est, vocis rauco. Et hæc imprimis periodica esse solet, ut bis terve anno, vel singulis annis redeat. Inveterata autem sicca & pertinax, præcipue à tuberculis crudis, calculis &c. dependet, vel aliâ vitiosâ pulmonum constitutione, aut stabili causâ intus latente.

CAPUT IIX.

Prognosin instituit.

Occupatur PROGNOSIS circa signa salutis & mortis, longitudinis & brevitatis, & modum eventus.

SALUTIS & MORTIS prædictio I. Generis ratione ex se & suâ naturâ tussis non est lethalis, nec incurabilis, sed periculo ferè vacat, nisi alia conjungantur, vel succedant sym-

ptomata, quæ periculum minentur. Levis, & ubi materia facile exscreatur, salutaris est, per hanc enim pulmo à sarcinâ suâ liberatur. Vehemens verò *ἤξιωθης*, ferina *Hipp.* dicta *l. 6. epid.* maximè si diuturnitas accedat, periculosa est. Facile enim à nimia istâ pectoris ac pulmonum concussione vasa sangvisflua in pulmonibus disrumpi possunt, & sanguinis inde sputum contingere, in adultioribus imprimis, quorum membra duriora concussionis molestiæ non ita promptè cedunt, inde sæpius phthisis pressio pede sequitur. Vomicam etiam in pulmonibus delitescentem nonnunquam rumpit, cujus materia tum in bronchia, tum ad cor ipsum delata obstructionem & suffocationem inducere potest.

SUBJECTI ratione tussis Quintana infantibus ac pueris molestissima ac deterrima, cum somnum ac quietem alterum, tenellæ hujus ætatis pabulum suffuretur, ac respirationem impediat. Nec minus ea propter, quod materiam non adeò commodè scretu rejicere sciant. Herniarum quoque ut in omni ætate, ita inprimis in puerili hac feracissima est. Quin gibbosos ipsos aliquando reddere *Divinus Senex* innuere videtur *l. apb. 46.* *ὁπόσοι υἱοὶ ἐξ ἀσθματικῆ ἢ βηχὸς γίνονται, πρὸ δ' ἤς ἡσεν ἀπόλλυνται*, qui gibbosi fiunt ex asthmate vel tussi, ante pubertatem moriuntur. Gravidæ tussi laborantes de abortu periclitantur.

CAUSARUM respectu sangvineâ periculo non caret, à catarrho verò insipido orta omni periculo vacat, cessat enim eductâ materiâ extravasatâ. Gravior ac periculosior illa quæ à tenui, acri, falsa destillatione oritur. Nec calculosa tussis ac grandinosa omni spe ac auxilio destituitur, quin sæpius observatum rejectis calculis, eandem omninò conquievissè, nonnunquam tamen ἀμόπλιτον inducere visa. Gravissima omnium, imò lethalis est illa, quæ hydropicis consummatis supervenit, oraculo *Divini senis*, quod *6. apb. 35.* tale est τοῖσιν υἰδρωπικοῖσι βῆξ ὀπιγινομένη, κακὸν. tussis, hydropi superveniens malum, & *7. apb. 47.* υἰδρωπιῶντα ἢ βῆξ ἔχη ἀνελεπιστός ἐστιν, si tussis hydropicum invaserit, extra spem est.

Ratione LONGITUDINIS ac BREVITATIS: quæ

ex aëris injuriâ tusses, leviores fiunt, citò transeunt, quæ verò ab humoribus acrioribus, non tam citò desinunt. In senibus autem inprimis contumaces sunt, nec unquam ferè in totum, eradicari queunt, cùm effato *Hippocratico* 2. *apb.* 40. in illis non maturetur materia, unde ad mortem eos usque sæpiùs comitantur. Idem etiam contingit in phthificis desperatis, qui tam diu vivunt, quàm diu tusfiunt.

Quoad MODUM EVENTUS tusfis utplurimùm ferè ad salutem terminatur, maturatâ sive per *πεπασμὸν* correctâ materiâ, ut per *ἀνὰ θάλασσαν* educi possit, quâeducta iterum sui juris fiunt pulmones, viæ patulæ redduntur, & aër liberè commearé, ac respiratio legitimo ac naturali ductu procedere potest. Quo & non minimum facit serosæ colluviei per habitum corporis propulsio ac imminutio. Sunt tamen & alii modi eventus ad salutem ab *Hipp.* annotati 2. *epid.* f. 5. quibus tusfis nihil elidit & sicca est, ea non nisi valido coxendicum dolore, aut crurum, aut testium solvitur. Item 1. *epid.* f. 1. multi infestabantur, aridâ tusfi, nil exscreabant, nec multò post raucedinecebant, quibusdam testiculus alter, aliis uterque cum dolore inflammabatur.

Ad MORTEM verò terminatur in phthificis desperatis, dum vel ex tusfi humidâ sicca fit cum raucedine, & pus retinetur, vel si vehementiori tusfiendi nisu vas aliquod grandiusculum rumpitur, quo spirandi organa bronchia ac vesiculæ implentur, & æger hæmoptysi graviori moritur, quale exemplum ipse vidi.

CAPUT IX.

Curationem exhibet.

CONSIDERATâ itaque hæctenus affectus nostri naturâ, ad CURATIONEM properamus, utpote ad quam omnia à nobis allata tendunt.

Absolvitur autem illa INDICATIONIBUS consuetis, CURATORIA, quæ morbum, nempe obstructionem bronchiorum & *ἐπεθισμὸν* asperæ arteriæ tollit, ac respirationem sui

juris iterum facit; PRÆSERVATORIA, quæ causam morbificam irritantem removet; & VITALI, quæ vires conservat, restituit, & partem affectam roborat. Hisce indicationibus ut satisfaciamus, remediis opus est, quæ sumenda sunt ex triplici fonte.

Ex FONTE CHIRURGICO primò occurrit Venæsect. quæ tussî ut tali non convenit, nisi ea à Plethora oriatur. Si à mensibus retentis, vel ab aliâ causâ plethoræ supra commemoratâ, tussis proveniat, semper illi ut symptomati medicamenta non adhibentur, quia sublata causâ cessat effectus.

In genere autem hîc notamus, non semper tussim ut talem curari debere à Medico, cum nonnunquam promovere illam proficuum potius sit. Sic uti suprà diximus in pleuritide necessariò requiritur, in febribus autem continuis & malignis, inprimis autem variolis eandem becchicis curare velle, idem erit, ac ægrotum enecare. Præter V.S. ex chirurgicis etiam nonnunquam ex usu sunt FONTICULI ad causæ remotiorem. Cum enim à feri vitio sapissimè tussis excitetur, fonticulis autem hoc ipsum proximè quasi imminuatur, facile patet non minimum ab eorum usu redundare commodum.

Maxima autem spes in fonte PHARMACEUTICO residet, qui remedia cuivis indicationi appropriata præbet, idque sub geminâ potissimum classe, EVACUANTIUM nimirum & ALTERANTIUM, universalium & particularium.

Primò sese offerunt tum lenia, tum fortiora EVACUANTIA ut serum vitiosum, sive in substantiâ, sive consistentiâ, sive qualitatibus peccans probè educatur. Non autem in omni tussî, nec semper locum habet hæc per alvum evacuatio, sed cauto opus est, & saltim in illâ, ubi sputum cruentum non timendum, affectus inducias concedit, & affluxus non nimis est impetuosus, adhibenda.

Ex LENIENTIUM classe seligimus aloëtica, eaque omnia quæ primarum viarum saburram removere apta sunt, ut

ut reliquorum medicamentorum operatio , eò felicius absol-
vi possit.

Rx. Mass. pil. de suc. Crat. ʒj.
aloët. ʒ℥.
Resin. scam. g. jv.
M. e. elix. prop. q. s.
F. pil. minores. Lindpillen.

Rx. Aq. byssopi, tussilag. ana ʒj℥.
Elect. diacarb. ʒij.
Ess. rhab. ʒj.
Syr. ros. solut. ʒ℥.
M. f. potio, d. in fict. S. Lind-Trancf.

PRAEPARANTIA etiam ad humores viscidos incidendos & ad
excretionem aptos reddendos ex ipsâ vastissimâ thoracicum
materiâ depromenda sunt. Imprimis hûc faciunt illa, quæ
cum acredine conjuncta sunt, ut arum, oxymel scylliticum,
tit & helleboratum, notabile enim est, quod purgantia pectora-
libus addita incidendi fine plurimum profunt.

Rx. Aq. byssopi
Cuscut. ana ʒj.
Syr. cap. Ven.
Marrub.
Oxymel. scyll. ana ʒ℥.
Sp. ♀. gr. x.
M. f. l. a. potio. S. digestiv-Truncf.

Rx. Elix. pector.
propr. Paracels. ana ʒj.
M. f. digestiv. Elixir.

PURGANTIA suprà dictis cautionibus in affectibus
potissimum pituitosis viscidis locum habere nemo negabit,
cùm eorum vis in liquandis humoribus notissima sit, & eos-
dem, serosos imprimis, per colum intestinorum exprimant.
Laudatur verò ab autoribus ferè omnibus Agaricus, tùm sim-
plex in infuso ac decocto, tùm variè correctus ac præpara-
tus

tus vel in extracto, item senna in infuso. Nolumus tamen, cum veteribus statuere singulos humores peculiaria requirere purgantia; hodiè enim tum experimentis, tum rationibus fatis demonstratum est, omnia purgantia primariò post scybala expurgare Serosos, hinc pro gradibus activitatis etiam reliquos humores, atque hinc per purgantium apicem, ac reginam Galapium, aliaque selectiora ac usitiora æquè feliciter perfici posse purgationem, ac per Veterum appropriata, nobis persuasum habemus.

Rx. *Gialap. nigr. resin.* ℥j.

Resin. Scamm. g. jv.

Crystall. ♀. g. viij.

ol. Anis. gt. j.

M. d. ad cb. S. Purgier Pulverl. auf ein mal

Rx. *Pulv. laxat. veget.* ℥j.

Crem. ♀. gr. vj.

Fecul. ari g. x.

Eleosach. anis. g. vj.

M. f. pulv. S. ut supra.

Rx. *Herb. Pulmon.*

marrub.

hyssop.

tussilag.

veron. ana m℥.

passul. min. elotar.

major. excor. an. ʒ℥.

Sem. cartham. ʒ℥.

Agar. alb.

Mechoacan. alb. ana ʒiij.

Sem. Anisi

Fœnic. ana ʒj.

Cinamom. ℥jv.

Concis. contus. gr. Mod.

S. Species zum Wein.

VOMITORIA, uti in genere pectori inimica sunt, ita &

in

in tusſi locum vix invenient, facile enim iſtā commotione pectoris ad phtifiſin ac hæmopthyſin via ſterni poteſt, niſi igitur neceſſitas illa exigat, omittenda erunt.

Inter hæc generalia præſidia etiam referenda DIAPHORETICA ac DIURETICA. Illa quidem eo in caſu, ubi à catarrho oritur tuſſis; diſcutiunt enim, ac imminuunt ſeroſam colluviem, legitimumque lymphæ motum iterum reſtituunt, unde ſtatim ceſſante affluxu, ceſſat etiam tuſſis, inſimulque ob abſorbendi vim aciditatem lymphæ irritantem, abundè corrigunt. Suntque hoc in paſſu plurimùm laudanda ſuccinata, quæ cum antimonio diaphoretico, vel cornu cervi phil. ac opii tantillo unâ nocte cum catarrho tuſſim ſuſtulſſe vidi. Sic commendatur à quamplurimis decoctum lignorum cum appropriatis dulcibus &c. Sic egregium eſt ſequens

Rx. *Tinctur. bezoar.*

Elixir. pectoral. ana ʒj.

Effent. Anod. gt. iij.

M.

Diuretica verò idem ſerum reſtagnans ad urinarias vias præcipitant, ac expellunt, atque ita naturæ aliam viam monſtrant.

Particulariter verò idem ſerum peccans evacuari poteſt per ERRHINA ac MASTICATORIA, ut ſerum ſive lymphæ ſuperflua per glandulas oris ac palati educatur, & affluxus ad pulmones inhibeatur.

CAP. X.

Præſidia alterantia particularia ac Diætam ſubnectit.

REligvum nunc eſt, ut ALTERANTIUM ac ROBORANTIUM materiam proponamus. Hanc autem ut eò felicius & ſcrutemur & applicemus ex ſuperioribus quædam

dam repetenda & hinc loci præmittenda omninò sunt 1. tus-
sim ferè omnem cui ut tali per se medicamenta adhiberi de-
bent à Medico , esse à fero. 2. hos ipsos humores esse vel
crassos , viscidos , glutinosos ; vel tenues , acres , falsos ,
hinc 3. medicamentorum hisce debitorum, nempe incrassan-
tium & incidentium ordinem non esse confundendum nec in-
vertendum, quæ cautio est *Excell. D. D. Wedel. de medic. facult.
l. I. f. III. c. 10. p. 90.* Ut adeò in duas partes divisa sit alte-
rantium auxiliorum materia. Tenues enim humores incrassan-
tibus gaudent medicamentis, quæ roscida mucilaginositate, vel
temperatâ terrestreitate tenuitatem ac fluxilitatem feri corrige-
re & ad crassiorem consistentiam redigere queunt, talia præ-
primis sunt saccharata & mellita, quæ ut *Rolsincius* loquitur
Ord. & Meth. comm. l. VIII. f. 1. c. 1. p. 683. atomis & molecu-
lis constant apta ratione in rotunditatem configuratis, & fa-
ciunt ut eorum porulos subeant catarrhosa , serosa & sali-
valia, quæ fauces ac pulmones irritabant, excrementa, facile
iisdem accommodentur, deliniantur, demulceantur, & ad e-
jectionem disponantur. Adeoque hinc pertinent sirupi nu-
mero ferè infiniti, loch omnis generis, quæque ad horum dul-
cedinem accedunt, dulcia alia, ut glycyrrhiza, & bechica reli-
qua. Ut & mucilaginosa temperatiora alia, althæa, gummi Arab.
tragac. bol. armen. &c. Terrea quoque alia ac ipsa absor-
bentia, præcipitantia, consolidantia, ut tusfilago, Veronica,
Antimonium diaph. &c. Inprimis verò ac omnium maximè
hunc effectum præstant omnium fluxionum remedia opiata,
quæ si quid aliud, tussim tollunt, quatenus materiam peccan-
tem, sive acredinem humorum salforum ac ferosorum corri-
gunt, coqvunt, & ad statum naturalem deducunt, ut & excerni
possit, & sine molestia id fiat, unde jure merito tantis ornantur
encomiis à sæpius laudato *Excell. D. D. Wedel. Opiolog. l. II.
f. II. c. III. p. 109.* ut ὑπείαν καὶ μυσηρίον apellet, sine quibus
nulla tusssis feliciter tam citò, tam jucundè & tutò tollatur. Et
quis totam medicamentorum thoracicorum farraginem hic enu-
meret, quæ integris plaustis adduci possent? sufficiat nobis
exercitii gratiâ quasdam addere formulas.

Rx. *Spec. diatreos Salom.* ʒij. *Antimon. diaphor.*
bol. armen. ana ʒj. *Magist. anodyn.* ʒ℥.
Sacch. canth. ad p. omn.

M. f. pulv. Brustpulver.

Rx. *Loch. de farfar.* ʒij. *Rad. ari, alth. ana* ʒ℥.
pulv. pectoral. Rolf. vel Mich. ʒij.
Sirup. papav. rhæad. & tussilag. q. s.

M. f. eclegma d. f. Brustsaft.

Rx. *Spec. diatrag. frig.* ʒij. *succin. præparat. bol.*
armen. ana ʒ℥. *flor. ♀.* ʒj. *Extr. helen.* ʒ℥.
Extr. glycyrrh. ʒj. *Magist. anodyn.* ʒ℥.
Sacch. in aq. tussilag. solut. ʒv.

M. f. l. a. Rotula.

Crassis verò, lentis, viscidis, pituitosis humoribus debentur ea medicamenta, quæ incidunt, attenuant, detergunt, & bronchia pulmonum ab infarctu liberant, talia sunt inprimis quæ sale volatili acri pollent, ut radix ari, hyssopus, scylla marina; vel sulphure blando, ut ros solis, helenium, sassafras, sem. anis. foenic. succinum, benzoë, & ex his præparata varia ac composita. Ipsa quoque res solventia, ut chærefol. lap. cancrorum, & , quæ omnium instar est, Cinnabaris nativa, omniaque in pleuritide alias commendata. Pertinent huc quoque ♀. inprimis lac ejus, quod teste *Nobiliss. & Excell. D. D. Ludovic. pharm. modern. diff. 1. p. 375.* in bronchiorum infarctu reverà præstantius est crudo ac florificato. Sic flores benzoës quoque eximii sunt, qui tamen minori dosi sumendi, alias irritant ipsi. Quin huc etiam sub priori classe laudatorum opiatorum virtus excellens pertinet, licet enim in hoc casu majori præsertim dosi minus convenient, & suffocationem intentare possint, tamen si refractâ & secundariâ dosi decenter cum incidentibus maritentur, vel interponantur, incisionem & attenuationem hoc modo juvant, impetum sistunt, naturam roborant, ut felicius viscidus hi humores excerni possint, videatur *Opio-logia Wedeliana c. l.*

Multa insuper remedia tum rationi consentanea, tum empirica hinc inde ex autoribus colligere possemus, sed propositi nostri ratio & pagellarum angustia illud non permittit.

Unicum

Unicum tamen commemorabimus evaporiston *Cratonis*, quod plurimis in locis commendat, nempe decoctum raparum, de quo vide eundem. ap. *Scholz. consil. 27. p. m. 75.* ut & *epist.* ejusdem Sic in tussi inveterata à multis laudatur santalum rubrum.

EXTERNÆ etiam nonnulla ac topica ad tussim hinc inde commendata legimus. Sic *Forest. l. XVI.* plurimos se curasse dicit unguentis pectoralibus, quæ ibi videri possunt. Cautos tamen nos esse oportet in adhibendis hujusmodi unguentis, inprimis si à fluxionibus tussis est, unde prælaudatus *Crato l. c. consil. VIII. p. 35.* ea non probat. Nec sine ratione; nam, inquit, etsi ad expectorandam materiam quæ præsens est, faciant, tamen laxiores partes & magis fluxionibus obnoxias reddunt.

Nihil itaque nunc restat, nisi ut DIÆTAM paucis subnectamus, quæ in legitimo sex rerum non naturalium usu consistit. Utque in hisce quilibet suum corpus nosse & suus medicus esse debet, ita etiam ex hoc fonte in statu præter naturam naturæ medicoque suppetias ferre ægrum ipsum oportet.

Hinc ex VITALI diætā Aer temperatus sit ad ficcitatem magis vergens. Vitetur pluviosus austrinus valde frigidus & calidus. Caveat etiam æger solis ac lunæ radios, hi enim catarrhos toto die inducunt, quos tussis pressa sequitur pede. A ventis etiam borealibus corpus defendat & contra ejus injurias probè muniat.

IN NATURALI victus pro conditione tussis variat, si enim materia crassa urgeat, attenuans simul sit, si tenuis, incrassans, sic profunt fructus amygdalæ dulces excorticatæ, pinæ, recentes tamen, non rancidæ. Panis sit ex optimo frumento benè fermentatus, sed sine sale, femine tamen anisi vel fœniculi conditus. Carnes sint facilis digestionis, boni nutrimenti, vitentur olera, & omnia, quæ superfluis succis abundant, & serosam colluviem augere vel inordinatè movere possunt.

Inprimis fugiat allium, cepas, raphanum, salsa & acetum. Inter bellaria varia sacharo tum Canariensi, tum inprimis canto incrustata sensim deglutiantur. Potus sit cerevisia lupulata, benè defœcata, herbis pectoralibus medicata. Decoctum horde

hordei cum passulis aut saccharo cant. edulcatum optimè se-
gerit.

In ANIMALI motus corporis moderatus sit, sine magna ta-
men corporis agitatione. Animi quoque motus sive affectus
temperentur: moeror inprimis, tristitia ad Garamantas ac Indos
relegentur. Somnus sit nocturnus, diurnus vitetur, dormiat au-
tem capite elevato ac corpore bene tecto. Singulis diebus ut ex-
crementa debitè excernantur, opera danda.

F I N I S.

DEO SIT LAUS, HONOR
ET GLORIA IN ÆTERNUM.

Supremos, HERFORTE, Tibi congrator
honores,
Utque his accrescant mox bona plura,
precor.

P R Æ S E S.

UT tussis nescit celari, sic quoque Virtus
(vilia cum magnis liceat componere) clarò
lumine spectandam sese exhibet, atque recondi
non potis est. Testis sit publica tessera tussis,
quæ Tibi purpureum satagit diadema parare.
Nos plausu juncto tantos gratamur honores.

Nobil. DN. DOCTORANDO felices successus
ex animo precor

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

TAntalus es, mediis in aquis petis amplius
undas;

Oceanus nequirit restringere fontibus ignes,
quos dudum divina Tibi commovit Hygea.

Dulcius ex SALA gustantur Castalis undæ
quàm patriis lymphis. Pergas; Tua cœpta
probamus,

dum nobis monstras genii conamina clara,
purpuream hinc mitram capiti decernit A-
pollo.

Sic, quos Sala dedit, cumulabit pontus Ho-
nores.

*Sic Nobiliss. Clarissimoque Dno Ddo Amico honora-
tissimo adclamat ex animo,*

Augustinus Henricus Faschius, D.

Anat. Chir. & Botan. Professor Publicus.

Quàm grave sit, tussi fauces vexarier agram
Atque implere sonò languidiore domum,
Hæc quàm membra lues nimium populetur, au-
bela,

Et nisi tollatur, corpora multa necet,
Tàm quæ causa mali, quæq; hic medicamina prosint,
E cathedrâ Medicâ Te docuisse juvat.

Inde

*Inde Machaonios Tibi pensat Apollo labores
Et meritis confert præmia summa tuis.
Quid voveam? crescas Phœbeâ dexter in arte,
Vt tussi afflictis anchora firma sies!
Sic miseram rarò sortem gemebunda queretur
Languidi in amplexus uxor itura viri,
Quòd strato affixus tussi quatiatur amarâ,
Nec liceat, cœu fas, debitò amore frui.
Sic minui fiscum Phlegethontis Na-vita cernet,
Atque tuis titulis fata secunda fluent.*

Nobiliss. atque Clariss. Domino Doctorando
honoris, amoris & gratulationis
ergo fundebat

Matthias Gessen / J. U. D.
Illustr. Regim. Saxo-Jenensis Advoca-
tus Ordinarius.

Mors infelici morbum medicamine pellit,
Dum vincla solvit corporis.
Ast meliùs Medicus speranti consulit ægro,
Dum vincla servat corporis.
Cujus cum dudum doctæ sis conscius artis,
Nunc debitum capis decus.

Sis felix ; Pestis , morbus , mors , ipsaque
tussis
Scientiæ cedant tuæ.

Pauca hæc
Nobilissimo ac Clarissimo
Dno Ddo
scribebant

Ejusdem Commensales.

DAnt alii plausus, Phœbus dum ritè coronat
Sacratum Musis, cui sola Machaonis artes
Tractasse, & vigili studio voluisse Galenum
Cura fuit : Grata & meditantur nomina Gnati
Pæonis eximii, meritis ceu præmia digna :
Hunc etenim vulgi à studiis, & plebe remotum
Assertumque sibi melior natura redemit.
At, quæ vota feram, quæ non fecere priores ?
Exiguum inde meo carmen profluxit ab ore :
Maacte novo Titulo, de quo Tibi grator, AMICE,
Inque soli cedat patrii ter commoda mille.

Absens gratulatur

Joh. Georg. Adami.

